



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Spiritualis dilectio ad Sanctos. 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

6. *Non est omnium vacare.*

**C**onfidera gratiam tibi desuper datam, & viuere secundum eam curato, quoniam non omnibus sic vacat solatiari cum Christo, quemadmodum oblatum est tibi aptum & sufficiens tempus præ cæteris. Tantum absit spiritus Iesu, qui docet & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cui enim adest spiritus eius, non habes requirere præsentiam alicuius hominis, vt consolaberis. Quando autem abest, exspecta eum, quoniam veniet, & non tardabit.

Ioan. 1.

7. *Contemptus consolationum extranearum.*

**A**uere tamen oportet, vt de foris superflua solatia non petantur: sed vel interim silentio & luctui insistere, aut cum amico de negligentia & angustia sua conferre. Et ista hominis consolatio, satis utilis & necessaria tempore suo, quia non omnium est dicere cum Apostolo: Quia non ab homine, neque per hominem didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Qui humano solatio non eget, multum super hoc regratiari Deo potest.

Galat. 1.

8. *Consolatio infirmorum.*

**E**T qui adhuc carere non potest, quid nisi Deum in seruis suis humiliter audire debet: & non sicut ab homine, sed tanquam ab ore Dei prolatum sit, consolationis verbum suscipere? Qui etiam per scripturas nobis adhuc tanquam paruulis loquitur, habeamus tamen aliquid, vnde consolemur.

9. *Consolatio in scripturis diuinis.*

**E**st enim non parua consolatio, qui nullam exteriorem habet, quod delectatur in scripturis diuinis. Et cum legit Euangelium aut Prophetas, nonne videtur quodammodo colloquium celebrare cum Iesu & Apostolis eius, nec cum prophetis antiquis? Et cum cæteros libros doctorum audivissimè legit, quid nisi ex bona eorum societate, à se omne mentis fastidium repellit? An non sapissime, cum Augustinum vel Gregorium legis, tanquam præsentem eos intueris? Aut minori affectu eorum dicta complecteris, quia in carne non sunt; quam si viuerent, & ad te sua scripta direxissent?

10. *Spiritualis dilectio ad Sanctos.*

**P**osset fortè magis aliquid conferre tibi veneranda ipsorum præsentia: sed spiritualis homo hanc affectionem facillè supergreditur, cui in Deo omnes viuunt & præsentem sunt; qui &

Ioan. 6.

& in hominibus sanctis non tantum corporalem aspectum, quantum diuinam in eis gratiam intuens, spiritualiter eos ubique diligit & veneratur. Nonne & prædictorum duorum Patrum sententia meminit, quòd ideo Iesus Christus suam nobis corporalem subtraxit præsentiam; ut fide coleretur potius quàm oculo, & spiritu ac mente arctius diligeretur quàm aspectu? sicut idem ipse Dominus noster ait: *Nisi abiero, paraclitus non veniet. Expediet enim vobis, ut ego vadam.*

11. *Congratulatio ad piè defunctos.*

**C**um ergo tolluntur à nobis spirituales amici, si sequuntur Christum ad caelos ascendentem, congaudendum erit utique eis, quia vadunt ad Patrem, quia illam caelestem mansionem accipiunt, ad quam nostra peregrinatio in hac valle lachrymarum toties suspirat. Si verò aliqui adhuc differuntur à regno, pro paruulorum eos nimirum consolatione viuere credendum est, quibus lac spiritualis consolationis opus est.

12. *Consolatio spiritualis hominis.*

Psal. 41.

**Q**ui autem ad tantam gratiam peruenire potest, ut sine humano solatio etià & solus viuere dulce habeat, gaudeat quòd quanto exterius minus querit, tanto vberius intus per spiritum consolari merebitur. Huiusmodi hominis est, iugi meditatione diuinæ legis cuncta terrena obliuisci, & ardenti mentis desiderio beatorum gaudijs interesse, ac omnem consolationis suauitatem in illa beatitudine constitueret atque ex hinc frequenter haurire fluuenta deuotarum lachrymarum, quæ ipsi etiam præ amoris magnitudine dulces sunt, quemadmodum sanctus Dauid ex desiderio videndi Deum loquitur: *Fuerunt mihi lachryma mea panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Quàm bonum est homini sic esse! sed non sine labore & custodia sui poterit diu sic esse. Multa sunt enim, quæ hominem à suo proposito retrahunt.*

13. *Communis vita magna iam apparet, si bene seruetur.*

**S**ed tamen magnum pro nunc videtur, si quis communis vite sequens formam nullos superfluos exitus & circuitus faciat licet propter grauitatem vite, quandoq; necessarios egressus deuotare aliquid maius sit. Qui adhuc largioribus indigent consolationibus, non sunt despiciendi, nec frangendi: fortè expedit aliquibus, ut parumper de aere rapiant. Quia si omnem perdidissent  
humanam